

aequalem velimus, cur eam, sumtu ad sacra addito, deorum aditu arceamus? Praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam.

Quum Socrates de facultatibus exiguis tenuia sacra faceret, putabat se non praestare minus, quam eos, qui de magnis et copiosis opibus multas et amplas hostias caederent. Etenim neque decere deos, hoc ajebat, ut magnis potius, quam exiguis sacrificiis gauderent, quod alioquin eis improborum hominum sacrificia saepe essent gratiora, quam bonorum; neque vitam mortalibus optandam esse, si sacrificia scelestorum diis essent acceptiora, quam proborum. Nimirum existimabat, sacra illa et munera esse maxime grata diis, quae ab hominibus maxime piis offerrentur.

2. Apud Romanos colebantur religiones pie magis, quam magnifice. — Primitus enim ex libamentis victus sui, deos eo efficacius, quo simplicius placabant.

L. Papirius imperator, adversus Samnites dimicaturus, votum fecit, si vicisset, Jovi pocillum vini. — Imagines fictiles deum erant tum laudatissimae. Nec poenitet nos illorum, qui tales coluere. Aurum enim et argentum ne diis quidem conficiebant. — Quippe Jupiter videbatur esse magis propitius, quum statucae ejus fingerentur ex argilla, non vero conflarentur ex auro.

«Hanc rebus Latii curam praestare solebat

«Fictilis, et nullo violatus Juppiter auro.

Mirum mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata, usque ad devictam Asiam; unde luxuria.

3. Alexander Magnus dicitur coluisse magnifice deos a pueritia. Quum aliquando faciens sacrum injecisset manibus ambabus thura in ignem, Leonidas paedagogus ejus:

Xenoph. Memor. 1, 3, 3. — Liv. 3, 57. — Valer. M. 2, 5, 5. — Plin. H. N. 14, 13, 12 et 35. — Juven. Sat. 11, 115 s. — Plin. H. N. 34, 7. — Plut. in Alex. M. Tom. 1 p. 679.